MEDITATIONES
AD
QVAESTIONEM
VTRVM METHODVS DEMONSTRATIVA SIVE MATHEMATICA IN IVRISPRVDENTIA CIVILI ADHIBERI POSSIT?

PRAEMISSAE
COLLEGIIS PROXIME APERIENDIS
AD QVAE

CIVES
HVIVS
ACADEMIAE FLORENTISSIMOS
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA
DECENTER
INVITAT

GOTFR. HENR. ELEND,
I. V. L.

KILONII, LITTERIS GODOFR. BARTSCHII,
CIↃ IↃCC XXXV.

§. I.

Quantum intersit eorum, qui Musis nomen dederunt, quo ordine a docentibus scientiae tradantur, & quam vere dictum sit a PLATONE, diuini ingenii Philosopho in *Gorgia: methodum animam esse scientiarum;* nulli ignotum esse poterit, qui vel leuiter tinctus est praeceptis artis ratiocinandi. Sane Vir Celeberrimus WOLFFIVS, eruditae Germaniae ornamentum, non vno loco summam demonstrauit vtilitatem, quam ii sentiunt, qui scientias methodo didicerunt demonstratiua, nexumque veritatum propositarum cum indubiis inspexerunt principiis, prae iis, qui vel nullam, vel remotiorem dogmatum suorum rationem afferre possunt, & cerebellum non nisi vagis & confusis repletum habent notionibus. Nolo huius Viri expilare scripta, quae in omnium versantur manibus, quaeque digna sunt, vt accurata animi intentione peruoluantur: Nolo inquam, cum res omni dubio careat. Quis enim nescit? limites ingenii nostri strictiores esse, quam vt veritatem singularum propositionum cognoscere possit, sed tum demum de veritate earum conuinci, cum nexum earum cum aliis indubiae veritatis perspicit. Immo si quis putaret, perinde sibi, saltem in quibusdam scientiis (*) esse, quo ordine dogmata, dummodo vera, proponantur; is modo perpendat per methodum demonstratiuam, Mathematicam siue Philosophicam

(*) *Vid. Wolffium* in der Nachricht von seinen Schrifften §. 3.

cam (*) singulas theses ad generaliora principia ope definitionum reduci, adeoque eam memoriae optimo esse adiumento, cum nonnisi pauciora definitionis verba, sua veritatis luce corruscantis, retinere debeamus, ad caetera, quae de re definita dici possunt, resoluenda. Atque hae vtilitates methodi demonstratiuae cum tam euidenter in oculos incurrant, vt merito in omnibus scientiis adhibeatur, quibus id fieri possit: etiam ab ICtis quaesitum est, an ista methodo scientifica Iurisprudentia nostra Romano-Germanica tradi possit, id quod a Celeberr. WOLFFIO summa confidentia assertum (†), et a Clar. CRAMERO quibusdam speciminibus tentatum est, quibus Illius sententiam comprobasse sibi videtur. Huic opinioni cum sese, tum alii, tum etiam nuper Ill. LVDEWIGIVS Hallensis opposuerit, hanc methodum tanquam prorsus alienam a Iurisprudentia reiiciens, eius adoratores exsibilans, moreque suo in eos, a quibus dissentit, nimis acerbe inuehens: paucis inquiramus, an methodus haec demonstratiua applicari possit ad Iuris scientiam conscribendam et explicandam, vel an ea felicitate, qua Mathematicus superbit, ICtus carere debeat?

§. II.

Iurisprudentia nimirum duabus absoluitur partibus, quarum prior circa accuratam Legum cognitionem adipiscendam, altera circa earundem aptam ad negotia ciuilia applicationem versatur. Iam ergo hic quaeritur? an ad priorem partem perdiscendam tale confici possit Systema Iurisscientiae, in quo leges omnes et singulae, quae adhibendae sunt in decisione controuersiarum, ex indubiis iactis principiis, de-

 finitio-

(*) *Haec synonyma esse probauit Wolffius Log. disc. prael. §. 139.*
(†) *In horis subsecivis anni 1731. spec. 2. trim. brumal. et spec. 2. trim. aestiu.*

finitionibus harumque euidenti comparatione deductae & demonstratae appareant.(*) Etenim, qui demonstratiua methodo, a Mathematicis maxime vsitata, vti gloriatur, caueat, vt vllam in compendio suo admittat thesin, quae non ex indubiis axiomatibus, quo spectant propositiones alio loco demonstratae, euidentissimis experientiis, vel definitionibus exasciatis, harumque comparatione induci posset. (*) Iam vero, inquiunt propugnatores methodi scientificae, (†) in Iurisprudentia ciuili locum principiorum, axiomatum indubiae veritatis occupant ea, quae ex Iure N. et Politica desumta ibidemque demonstrata sunt. Deinde definiri posse entia Iuridica in dubium vocari nequit, cum alias voces in iuris scientia occurrentes forent sine mente meri sonus, quod nemo ICtorum concessurus est. Praeterea pergunt, cum ad definitionem conficiendam requiratur, vt ea, quae subiecto definiendo absolute conueniunt, nec tamen a se inuicem determinantur, seligantur, et tot praedicata ex hisce colligantur, quae simul sumta non nisi huic vni subiecto propria sint; nec adeo difficile foret homini, in his negotiis versatiori, in Iurisprudentia tales proponere. Euoluantur enim modo Leges rationis et positiuae, debita attentione et meditatione perlegantur, ea notentur, quae subiecto a legislatore sunt attributa. En gloriantur, euadet definitio! quae vicem principii demonstrandi sustinebit. Nec enim eas retinere cogimur definitiones, quae in Iuris corpore passim occurrunt. Definitiones condere est Philosophi, Philosophi ICti. Legislatoris officium tantum est, ea declarare et praecipere, quae de subiecto dici cupit.

§. III.

(*) *Scilicet quaestionem & statum controuersiae ex mente Wolffii, cum quo nobis res est, formamus.*

(**) *vid. Wolffii Logic. §. 498.*

(†) *vid. Wolffium Hor. subsec. spec. all. trim. brum. §. 2. seq.*

§. III.

Satis egregie haec dicta esse, magnamque prae se ferre speciem videntur, et vtinam Iurisprudentia ad eum certitudinis gradum deduci posset! sed vereor, ne in votis subsistamus. Primo enim ea, quae de definitionibus in medium afferuntur, paulo accuratius vt inspiciamus; falsum est omnis generis definitiones principia demonstrationum constituere, sed eae demum, quarum realitas (*), i. e. quod etiam certo et semper definito ea competant, quae nos de eo enunciauimus, demonstrari potest. Scilicet definitiones duplicis sunt generis. Vel enim experiundo (†) et sola mentis accurata reflexione eruuntur, ita, vt indubiis experientiis euidentibus perceptionibus vel abstractionibus adstrui possit, ea reuera definito competere, quae nos definiendo ei attribuimus. Quae propositiones principia demonstrandi quo minus essent, quis dubitaret? cum sint certo verae, ex quibus adeo certo verum elici potest. Tales sunt definitiones mathematicae, circuli &c. tales sunt iurisprudentiae N. definitiones. e. g. contractuum, vt ideo nullus dubitem, quin ista disciplina iuxta rigorem mathematicum probari queat. Vel definitiones ita sunt comparatae, vt quaedam contineant & continere debeant, quae naturaliter subiecto non insunt, etsi eidem non contrarientur, adeoque nec per solam reflexionem indagari possunt; sed quae adiecta sunt vel ex meo vel alterius arbitrio (**). Tales fere omnes sunt definitiones iuris Ciuilis, scilicet quae addendo vel mutando oriuntur. Lex enim ciuilis accuratius determinat, vel addendo certa requisita et circumstantias, vel limitando placita Iuris N., quae deinde etiam adiici debent definitionibus Iurisp. Nat. ad definitiones

(*) *vid. Heineccii Logic. p. 1. c. 2. Sect. 3. §. 43. Wolfii Logic. §. 790.*
(†) *vid. Heinecc. d. l.*
(**) *vid. Heinecc. §. 42. d. l. sequ.*

tiones Iurisprudentiae ciuilis habendas. Ita Ius Naturae pariter ac ciuile ſtabiliunt: pacta eſſe ſeruanda; ſed quid ſit paciſci, conſentire, vſum rationis habere, accuratius arbitrario modo determinat Ius Ciuile. Vt ergo hae definitiones principiorum vice fungerentur, neceſſe eſſet, vt earum exiſtentia, adeoque adiectio circumſtantiarum arbitrariarum demonſtraretur per ante dicta, cum alias hae definitiones, quales in demonſtrationibus ſolae occurrere debent, locum occupare non poſſent. At vero hoc eſt impoſſibile. Cur? dum enim Princeps legislator aliquid addit notionibus Iuris N., aliquid facit; facta vero humana demonſtrari nequeunt, ſed tantum probari. Ergo nec realitas definitionum in iure occurentium. Ex quo quid aliud efficitur? quam definitiones iuris ciuilis haud ita eſſe compatatas, vt principia demonſtrandi eſſe poſſint, potius hypotheſium inſtar inter probabilia eſſe referendas, (†) adeoque methodo demonſtratiua Ius Ciuile non poſſe tradi (*). Nec enim mihi quis obiiciet: Voluntati Principum eſſe ſtandum, adeoque quod ille circa negotia humana ſtatuit, ad eſſentiam eorum certo pertinere. ſcio enim in theſi hanc veriſſimam eſſe enunciationem, in Iure N. demonſtratam, in Iure Ciuili axiomatis inſtar habendam: *Quicquid Princeps ad eſſentiam contractus vel negotii pertinere voluit, illud includi definitioni debere*: ſed in hypotheſi an hoc vel illud ad eſſentiam contractuum referre voluerit, quis hoc demonſtrabit? Sane ſi hoc poſſibile eſſet, nullum inter ICtos dubium foret de Legibus incertae auctoritatis, i. e. an nobis ſint leges, (lex enim vocabulum relatiuum eſt) e. g. de *Auth. Sacr. Pub. de Conſtit. FRIDERICI II. de retractu.* Quod quemadmodum in optimis ſaepe rebuspublicis contingere poteſt, praeſertim in contentione legis et conſue-

(†) *vid. Gundling. Continuata. p. 3.*
(*) *Wolff. Log. §. 587.*

ſuetudinis, tum praeſertim in noſtro imperio ob incertitudinem Iuris et concurſum LL. Romanarum, Pontificum et Germanicarum, id quod exemplis ſexcentis illuſtrare facillimum eſſet, ſi programmatis limites egredi volupe eſſet. Et quid pluribus? Tota Iurisprudentia in eo verſatur, vt legislatoris ſenſum eruamus et aſſequamur, hunc vero tantum probabiliter poſſe erui quis neſcit, niſi hermeneutices ignariſſimus? At vero hic obiiciunt Viri Celeberrimi WOLFIVS et CRAMERVS dicentes: Legum Ciuilium determinationes non ſolum a voluntate principis dependere, ſed Politicam eam eſſe ſcientiam (†), quae demonſtrat, quid addi, quid demi debeat Iuris Nat. placitis, ex earum ergo diſciplinarum penu deſumenda eſſe argumenta; praeterea adeſſe rationes, cur hoc vel illud princeps ſtatuerit, per quae demonſtrare poſſent leges datae. At vero vt breuiſſimis reſpondeam. Politica quidem docet, quid vtile ſit, vt addatur vel dematur, ſed ICtus ſollicitus, eſt de eo, quod actu demtum eſt & additum; ergo illo demonſtrato, hoc tamen nondum eſt demonſtratum. Fac ex Politica demonſtrari poſſe, expedire publico bono, vt minori cum curatoris conſenſu etſi facta alienatio immobilium reſcindatur: num ergo ſtatim neceſſario iuxta veritatem iſtam Politicam ICtus decidit, etſi lege nondum data? E contrario fac ex Politica clare demonſtrari poſſe Legem eſſe iniquam duram (*) imprudentem, num ideo nos haud obligaret? vid. L. 12. Qui et a quib. man qua expreſſe dicitur: Lex etſi dura, tamen eſt ſcripta. Rationes Politicae illuſtrant theſes iuris, aequitatem comprobant, non vero demonſtrant, vt ſine iniuſtitia hae determinationes abeſſe nequeant. Dein poſſunt quidem dari rationes Legum ciuilium, cur hoc princeps voluerit, id quod vrget

(†) *Wolffius in horis ſubſec. Sp. 2 §. 3. anni 1731. Trim. brum.*

(*) *Tales vero dari in noſtra Iurispr, probat Kreſſ. de iure ſummo ſumma iniuria.*

vrget Dn. CRAMERVS, ſed hae non ſunt neceſſariae, id quod tamen ad demonſtrationem requireretur, quae ratiocinatur per neceſſe, quid? quod, ſaepe peſſimae rationes Legislatorem commouerint ad legem bonam promulgandam. Dari poteſt ratio, cur in emtione venditione immobilium reſignatio iudicialis vtiliter adhibeatur, ſed an haec ideo neceſſaria eſt, vt etiam reſignatio iudicialis Lege ſtabiliri debeat? Tandem rationes, quae communiter afferuntur, ſunt generaliora axiomata et dogmata Politices, quae in ſe ſatis firma nituntur veritate, ſed quod etiam recte applicata ſint, id demonſtrandum foret. e. g. ſi quis dare rationem vellet ſtipulationis Romanae, is recurrere deberet ad axioma politicum; *quod Reipublicae interſit, vt contrahentium mens ſit perſpicua ad litium occaſiones e Republica exterminandas* (*). Sed iam probandum eſſet, ſtipulationem optimum fuiſſe remedium, quo litigandi pruritus tolli, litesque praecidi potuerint. Quam difficile hoc foret; facile quiuis perſpiciet, qui modo ſecum reputet, quot fraudibus et circumventionibus haec ipſa ſtipulatio originem et cauſam dederit, adeo, vt iis medendis Praetor varia remedia pedetentim excogitare debuerit. Ex quibus tandem omnibus luce meridiana clarius elucet, Iurisprudentiam Ciuilem reſpuere ea principia, quae ad demonſtrationem, ad methodum demonſtratiuam, ex ipſius WOLFII iudicio requiruntur,

§. IV.

At vero ſimus liberales (†); ſupponamus voluntatem Principis Legislatoris tam euidenter, tam clare eſſe promulgatam,

(*) *Heineccii Orat. de Iurispr. formularia.*

(†) *Scilicet Vir Celeberrimus non ſolet recedere a ſemel recepta ſignificatione; At vero ſequentibus probare annitimur, ne quidem demonſtratiuam methodum ſenſu latiori, quo alii vocem vſurpant, in iure locum inuenire.*

gatam, vt de ea nemo ſanus dubitare, adeoque realitas definitionis demonſtrari (voce latiori ſenſu ſumta) (*) queat: nonne tum Iurisprudentia Ciuilis methodo demonſtratiua pertractari poſſet? Fateor, etiamſi rigor Mathematicus ſemper exularet, tamen admiſſa definitionum certitudine demonſtrationes necti poſſe (**); adeoque talem Iurisprudentiam hoc ſenſu non omnino eſſe impoſſibilem (†), etſi in hoc orbis ſyſtemate, ob variam et mutabilem Legislatoris voluntatem, vix ſperandam. At vero ſi noſtrae Iurisprudentiae in Academiis tradendae, ex Iure Romano, Canonico et Germanico collectae faciem conſidero, tantum abeſt, vt eam tali methodo, demonſtratiuam imitante, tradi poſſe exiſtimem; vt nec ſolum id, quod Corpore Iuris continetur, iſto ordine doceri poſſe, audacter affirmem. Primo enim certiſſimum eſt: dari in Iure Iuſtinianeo antinomias et propoſitiones directo ſibi contradicentes (††), quas conciliare nemo niſi

B Alexan-

(*) *Etiamſi definitiones iuris ciuilis et arbitrarii ſemper ad probabilia tantum ſint referendae, ſaltem ex mente Wolfii ob ſupra dicta: dantur tamen probabilitates, quae quam minimum a certo vero diſtant. vid. Heinec. Logic. P. I. c. 3. §. 10. Cel. GENTZK. artem ratiocinandi. Heumanni Acta Philoſoph. de fide hiſtorica. Ditton. de veritate religionis Chriſtianae. Igitur putare quis poſſet, ſi definitiones eum probabilitatis tantum gradum attingerent, tunc demonſtratiuam methodum adhiberi poſſe. ſed hoc ſuppoſitum reſpectu noſtrae Iurisprudentiae negaturi ſumus.*

(**) *Ita e. g. definitione conſenſus ex mente Iuris Romani, et negotiorum geſtorum quaſi contractus pro certo vera aſſumta, demonſtrari poſſe ſentio: prodigum conſentientem vel expreſſe mandantem ob negotia eius geſta, non actione mandati, ſed negotiorum geſtorum conueniri debere.*

(†) *vid. Wolff. Horas ſubſec. d. l. Sp. 2. §. 3.*

(††) *Superuacaneum eſſe puto, hanc theſin, ab aliis probatam, pluribus argumentis confirmare vid. Perill. VOGT. Diſſ. de arduo Iu-*

Alexandrum gladio nodum gordium rumpentem imitans poterit, et quibus conciliandis nec regulae politicae sufficiunt ob supra dicta. Nec obstat huic veritati, quod CRAMERVS obiicit: Iustinianum tamen intendisse consonantiam Iuris L. 1. §. 8. de vet. iur. enucl. Voluntatem Imperatoris laudamus, sed Ei, vel potius collectoribus ministris vires defuisse vel debitam industriam, res ipsa loquitur. 2) Occurrunt Leges ex diuersis Hypothesibus demonstrandae, quas Tribonianus ex incuria suae farragini inseruit. Ita e. g. recepta et admissa hypothesi Iuris: *Neminem in alterum plus iuris transferre posse, quam ipse habet:* demonstra, quaeso, ex hac veritate admissa: *Emtori nouo facultatem competere expellendi conductorem, quam venditor tamen ipsi conferre non potuit* (*). 3) Nemo inficias ibit; multas Leges obscuritate laborare, et (†) Legislatorem mentem suam non satis determinatam explanasse, quod quidem saepe numero non tam Legislatori quam tempori vitio vertendum esset. Vt vulgare exemplum afferamus, quo sententiam nostram probemus, da mihi, quaeso, definitionem

dicantium officio §. 7. Exempli loco sit L. 15. de R. C. L. 34. M. de quibus Vinnius in sel. quaestionibus l. 1. c. 11.

(*) *Adde Voet. ad L. Commiss. Eodem pertinet differens decisio, qua Iustinianus vsus est in materia commixtionis frumenti, et nummorum, vid. §. 28. I. de A. R. ibique Vinnium et L. 78. de solut. KRESS. de iure summo &c. c. vlt. §. 1. not. 2.*

(†) *Exempla innumera dare possemus, nisi breuitati studeremus, vid. L. 12. C. de Legibus, quo ipse Imper. id fatetur. adde Cuiacium de Papiniani et Pauli obscuritate querentem, Bertrandum in vita ICt. Zasium in paratitlis ad D. de accr. vsufructu aientem:* hunc titulum transeamus suspenso pede, quia plenus est vepribus, *item Huberum prael. ad ff. tit. de condictione triticiaria, quam* materiam adeo esse difficillimam, *affirmat*, vt processus ex isto negotio prouenientes diabolicos, non nemo vocarit.

nem arrhae, per quam ex mente Iuris Romani decidantur quaestiones, vtrum arrha signum sit perfecti contractus, an reseruatae poenitentiae et facultatis resiliendi a contractu? vid. LAVTERBACH. de arrha. Perill. LEYSER Med. spec. 204. VINNIVM ad I. Ex quibus tandem omnino sequitur, vt definitiones Iuris Romani ne quidem ita componi possint, vt summum probabilitatis gradum attingerent. De Axiomatibus Politicis forsan ad haec obstacula remouenda haud sufficientibus ob supra dicta lubenter taceo, id vnum nunc adiiciens: Ius Romanum iniquis quibusdam (*), et parum prudentibus scatere legibus, quarum veritatem ex saniori Philosophia nullo modo probare poteris, sed contrarium potius, qnod vltimum si faceres, optimum conderes ius, male vero connecteres methodo demonstratiua placita Iuris Iustinianei. Ita demonstres mihi velim ex regulis politicis, veritatem L. 2. C. ad L. Iuliam de adul. qua mulieres istae a Iudiciaria seueritate stupri et adulterii immunes praestantur, quae in cauponis et tabernis potantibus ministeria praebent. Si hoc effeceris tum demum Decium ICtum recte iudicasse credam, qui Lege citata corruptus statuit, *mercetrem plane cogi posse, vt corporis sui copiam petentibus concedat, quia instar sit diuersorii, in quo viatores etiam inuito caupone hospitantur.* vid. ANTON. MATTHÆI de Crimin. p. 409. Ratio quidem haec crassa est, et absurda: sed Politica, quae Legem allegatam demonstratura est, hanc opinionem firma niti veritate forsan monstrabit.

§. V.

At vero, si et his vitiis, quibus Ius Romanum laborat, medela esset allata, si Ius Iustinianeum in systema methodo

B 2 ma-

(*) *vid. Celeberr. KRESS. Dissertat. de Iure summo summa iniuria.*

174

mathematica conſcriptum, eſſet compactum. quid inde? quid tale ſyſtema? quid definitiones ex mente Iuſtiniani confectae (*) prodeſſent Themidi operam nauanti? Cum noſtra Iurisprudentia Ciuilis, quam diſcentes a docentibus ſibi explicari poſtulant inglomerabilis ſit cinnus ex Romano-Iuſtinianeis, Pontificum, Longobardorum, ipſorum denique ſtatuum imperii noſtri Legibus congeſtus, cuius compendium et ſyſtema eſſet conſcribendum. Sed inſtas forſan, ex hoc nihil aliud inferri, quam vt definitiones non ex ſolo iure Romano, ſed ex Iure recepto eſſent efformandae. At ne dicam, ipſa iura praedicta iisdem laborare naeuis, quae in iure Romano notauimus (**): incertiſſimum ſaepe eſt, cuiusnam iuris in hac vel illa materia auctoritas praeualeat (†), ita, vt in tanta iuris incertitudine dubius animus ſaepe haereat, quam opinionem amplectatur, ex quibus definitiones conficiat, ita vt definitionum realitas non ſolum non demonſtrari, ſed ne quidem ita probari queat, vt medium probabilitatis gradum pertingat. Huc accedunt commentatorum ingentia volumina, opinionum communium, quibus aliae contrariantur, obſeruantia, quae tamen non omnino ſunt negligenda, tum inprimis, ſi Legislatores mentem ſatis determinate haud explicauerint, id, quod facile illuſtrare poſſem, ſi luberet, exemplo iuris retractus gentilitii. Tandem, ſi iam tale compendium iuris communis exſtaret: num etiam Saxo, Holſatus, Lubecenſis, omnes etſi Germani, ideo ex Tuis definitionibus deducere valerent et demonſtrare, quid iuris

(*) *vid. Thomaſii diſſ. vtrum LL. Iuris Iuſtinianei ſit frequens, an exiguus vſus.*

(**) *vid. Kreſſ. de Iure ſummo.*

(†) *vid. Gribner de iure incerto ex dubia Legum, quibus vtimur, auctoritate oriundo.*

iuris ſit in cuiusuis nominati prouincialibus foris? Scilicet tale compendium iuris, etſi ſumma diligentia collectum, et politicis rationibus corroboratum, tamdiu ſua niteretur veritate, quamdiu Principi haud placuiſſet, nouis Legibus priores antiquare. Hoc facto omnes Tuae veritates operoſe ex opinione Tua demonſtratae corruerent, vera iam falſa euaderent, certiſſimo indicio; id proprie demonſtratum eſſe dici non poſſe, quod alio tempore falſiſſimum eſſe probare queo.

§. VI.

Sed nolo plura facere verba de re, quae ſua radiat euidentia, quam ipſe WOLFFIVS olim agnouit (*), etſi deinde ſententiam mutauerit horis ſubſeciuis, ita, vt iunior ſeniore WOLFFIO hac in parte videatur ſapientior. Syſtema Iurisprudentiae Romano-Germanicae, quale in collegiis Iuridicis fundamento ponitur, methodo demonſtratiua conſcriptum, ita, vt nulla in eo reperiatur theſis, quae ex ante iactis principiis neceſſario haud fluat, et quod ſufficiat omnium negotiorum in foro occurrentium deciſioni, inter impoſſibilia refero. Caeterum abſit a me ſuſpicio, ac ſi Ictorum magni nominis BöHMERI, HEINECCII aliorumque labores vllo modo floccipendendos eſſe cenſerem, vtpote qui in compendiis iuris definitiones accuratiores praemittere, indeque plures deducere veritates ſtuduerunt, etiamſi nec ſibi vitio verti poſſe recte iudicarunt, quasdam apponere theſes, quas nuda allegatione Legis vel obſeruantiae probare ſatis duxerunt. Tanta laude ſunt afficiendi ii: quantam ii merentur docentes, qui explicatis definitionibus, et ſi opus eſt, emendatis, ex harum comparatione placita Legislatorum rationibus Legalibus demonſtrant, quale exemplum ſupra dedimus.

(*) *Praefat.* von den Kräfften des Verſtandes.

mus, ſimulque rationes Politicas et Hiſtoricas adducunt ad Legum vtilitatem et aequitatem probandam.

§. VII.

Habet haec methodus maximam vtilitatem (*), et longe ſuperat eam, qua nil niſi theſes ſine connexione, ſine definitionibus lectori et diſcenti obiicitur. Imitemur ergo in Iurisprudentia condenda et tradenda Mathematicos (**), immo Ariſtotelicos potius, quam Stoicos in definiendo negligentiores (†). Id enim tantum nunc innuo, nec definitiones in iure noſtro poſſe confici ex omni parte accuratas, ita, vt omnia includant, quae de re definita praedicari, et exinde vel per immediatam vel per mediatam conſequentiam elici queant;

(*) *Vid. HEINECCII praef. Element. Iuris C.*

(**) *Non poſſum non, quin hic addam, me initio putaſſe Celeb. WOLFFII et CRAMERI eandem fuiſſe ſententiam, dum methodum demonſtratiuam in iure adhibendam eſſe inculcarunt, praeſertim, cum ipſe WOLFFIVS Log. §. 5. recte aſſerat*, probationem probabilem non forma, ſed tantum principiis differre. *Putaram, inquam, Illos requirere tantum definitiones quantum fieri poteſt accuratas, ex quibus varias iuris theſes tanquam theoremata adſtruere poſſent, quae pobationes tamdiu verae fuiſſent, quamdiu realitas definitionis admiſſa eſſet. Quae quidem ſi fuiſſet ſententia horum virorum, nihil eis obiiciendum eſſe perſpicio. At vero longe aliam ſententiam eſſe WOLFFII et CRAMERI cuivis patebit, qui §. 2. ſpecimin. 2. d. l. horarum ſubſec. inſpiciét et praeterea notionem ſibi format, quam de methodo ſiue forma demonſtratiua explicat* in den Unterricht von ſeinen Teutſchen Schrifften. *c. 1. §. 1.*

(†) *Aliter ſenſit olim Vir Perilluſtris A. LEYSER in Diſſert. de Logomachiis in Iure, ſed opinionem hanc mutaſſe videtur in Medit. ad ff. ſpec. I. quo ipſe Stoicorum adeoque veterum ICtorum definitiones ridet, et ad meliores conficiendas hortatur; adde Schilteri Praxin Analytices, Nelden. Vſum Org. Ariſtot.*

queant; nec earum realitatem demonſtrari, ſaepe nec ſufficienter probari, vno verbo, vniuerſum ius concatenata propoſitionum ſerie tradi haud poſſe, adeoque nec methodo demonſtratiua; ſiue ſeriem titulorum Inſtitutionum et Pandectarum retineamus ſiue non.

§. VIII.

Atque haec quidem ſufficere videri poſſent pro veritate argumenti, quod tractandum nobis ſumſimus, adſtruenda. At quoniam Viri Celeberrimi ſpecimina quaedam ediderunt, quibus ſibi id iam actu præſtitiſſe imaginantur, quod fieri poſſe docuerunt: videamus paucioribus, an haec res ex voto ſucceſſerit, et an haec Eorum methodus digna ſit auguſto demonſtratiuæ nomine. Dedit, nimirum WOLFFIUS in horis ſubſeciuis ſpecimen aliquod, quo tit. I. de Iure perſonarum hac methodo ita pertractaſſe ſibi videtur, et quidem eo ſimul ordine, qui iſti Methodo eſt arbitrarius, et quo Mathematici uti ſolent, nempe nominibus axiomatum, Scholiorum Coroll. adſcriptis, quod quidem in ſyſtemate iuris ſine affectatione nec applicari, nec a legentibus ſine nauſea perlegi poſſet. At videamus ipſam demonſtrationem! Demonſtrare nititur; *bello captos fieri ſeruos:* (*) Quomodo? Scilicet operoſe demonſtrat, non eſſe contra rationis præcepta, ſi eum, quem occidere poſſumus, ſub ſeruitutem redigamus. At vero haec theſis 1) demonſtranda eſt in Iure N. non in Iure C. 2) eſt tantum Iuris permiſſiui, vt ipſe fatetur. Non ergo ea ſtabilita, ſtatim demonſtratum eſt; in ſtatu Ciuili in hac vel illa Republica actu receptum eſſe, vt bello captus ſubſeruitutem redigatur. Et, vt verbo dicam: in Iure Romano clare probari poteſt per leges: *bello captum fieri ſeruum,* nemo ſane

(*) *Wolffii ſpec. 3. Hor. ſubſ. Trimeſt aeſtiv. a. 1731.*

ſane de eo dubitabit, vera ergo theſis eſt ob clara verba. §. 4. I. de iure perſonarum, non vero certo vera ob tuam prætenſam demonſtrationem, ex qua nihil aliud ego concludere poſſem, quam Legem allegatam Romanam non pugnare cum iuſtitia naturali. §. 37. ſpecim. alleg. Idem demonſtrare conatus eſt: *infantem ex ſerva natum, eſſe ſervum.* Quo argumento? ſcilicet proſpexit vir acutiſſimus, ex iure N. ſibi id haud licere, ideo principium poſtulati inſtar praemiſit: *ſervitutem in Republica conſervari debere.* Sed num hoc principium tanta corruſcat evidentia, vt ſine ulla demonſtratione queat admitti? nonne plures Respublicas omni felicitate fruentes ſine vllo ſeruitutis veſtigio, nedum illius, quae ex natiuitate oritur, videmus? At dicit vir ſummo ingenii acumine præditus: eſt principium Iuris Romani. Sed quid ex inde ſequitur? Scilicet, vt haec theſis ideo tanquam veritas admitti debeat, quod Romani eam veram ſtatuerint. Sed hinc clare elucet meram hypotheſin, nullo vero modo principium eſſe demonſtrationis. Et præterea, unde hoc ſcit, quaeſo, WOLFIVS: *Romanos hanc hypotheſin, vel, vt loqui mavult, principium recepiſſe?* ſcilicet ex eo, quod Romani ſtatuerint Lege (†), infantem, ex Serva natum, eſſe ſervum. Ergo hanc Legem vſurpare deberemus ad hypotheſin Romanam eruendam; et tamen Vir Celeberrimus hypotheſi uſus eſt ad Legem iſtam demonſtrandam. Quid eſt circulum in demonſtrando committere, ſi hoc non eſt? Sane eiusmodi demonſtrationibus longe præſtat nuda allegatio Legis, vti Heineccius fecit in caſibus praedictis (*).

§. IX.

(†) *§. 4. I. de iure perſonarum.*

(*) *Imo ſi rationem poſterioris Legis dare vellem, longe melius foret, eam ex alia hypotheſi, qua Romani ſervos vt res reſpexerunt, deſumere vid. Heineccii El. Iur. tit. de iure perſ.*

§. IX.

Praetermittamus reliqua, et pauca etiam de Speciminibus Dn. CRAMERI differamus, quibus varias materias Iuris demonstratiua protulisse methodo gloriatur. Diligentia summa pariter, ac conatus huius Viri sua laude detractandi non sunt; optandum potius, vt successus conatui et voto respondere posset. At vero, cum non dubitem, quin vir Celeberrimus eam sentiendi libertatem, qua omnes, litteris operam dantes, frui debent, mihi concessurus sit, affirmare non erubesco, Eum partim scrupulosa et subtili ratiocinatione res, in se faciles, difficillimas reddidisse, id quod specimine de computatione L. Falcidiae probare possem, vtpote quod etiam iis, qui Algebraicis meditationibus assueti, nec earum exosi nauseam procreare aptum est; partim precariis principiis meditationes suas superstruxisse, et hoc modo augustissimum demonstrationis nomen prostituisse, id quod specimine de aequitate Emtionis Spei adstruere queo; partim etiam se non optimum gessisse demonstrationum artificem, dum ex falsis principiis vera demonstrare sit ausus, et ex veris principiis falsas elicuerit conclusiones Atque hoc vltimum, nequis putet, Virum optimum nos tantum criminari, vt probemus: inspiciamus quaeso specimen suum demonstratiua methodo, si Diis placet, conscriptum de iure principis veniam aetatis concedendi: §. 10. asserit: *Veniam aetatis immediatis imperii subditis et statibus a solo Imperatore concedi.* Recte satis. Ex Legibus imperii enim patet luculenter, hoc reseruatum esse Imperatori, sed CRAMERO non satis fuit, allegando Legem hoc probare, sed a priori hoc vult demonstrare. Ex quonam principio? Scilicet,

C quod

quod ſolius ſit Imperatoris, diſpenſationes vniuerſales in imperio concedere. At, quis hoc principium in ſe falſiſſimum concedet? niſi, qui ſoli Imperatori Leges vniuerſales in imperio condendi poteſtatem aſſeret. En quomodo ex principiis ob vniuerſitatem falſis vera eliciatur propoſitio! Sed hoccine eſt demonſtrare? Mittamus §. 11. 12. 16. nondum, etſi demonſtratas, omni dubio exemtas: mittamus §. 34. qua ob iuramentum beneficium reſtitutionis minorum ceſſare affirmat, innitens *Athentica: ſacramenta puberum*; cum tamen ipſi, non dico demonſtrandum, ſaltem probandum eſſet, eam Authenticam, aequitate ſe haud commendantem nos obligare, vtpote ex Lege Friderici I. Italis, non Germanis data, decerptam, et priuata auctoritate corpori Iuris inſertam. Sed reſpiciamus quaeſo §. 31. dictae diſſertationis, qua aſſerit: *veniam aetatis, qui adeptus eſt, a munere tutelae arceri non poſſe*, quippe quam theſin directo ſuis cum principiis pugnare video. Nimirum §. 24. ex definitione veniae aetatis eruit axioma: *Quaecunque minor facere non potuiſſet accedente curatoris conſenſu, ea nec facere poteſt poſt impetratam veniam.* Aſſumam hanc veritatem, iam ego ſubſumo: Atqui *Minor nec conſentiente curatore tutelam ſuſcipere potuiſſet*, E. *nec eam ſuſcipere poteſt poſt impetratam veniam*, ſed ab ea eſt arcendus. Maior ſua eſt propoſitio, Minor adeo clara eſt, vt Legem allegare pudeat. Et tamen concluſio directo contradicit ſua theſi, quam demonſtraſſe gaudet. Eadem mihi facile eſſet facienda concluſio ex §. 25. qua demonſtrat minorem poſt veniam impetratam, nec bona ſua hypothecae dare poſſe; quae theſis, ſi vera, vt eſt, ſane nec minor tutelam gerere poterit. Vid. LAVTERBACH. diſſ. de hon. tut HOPPIVM ad I. En ergo ex veris prin-

principiis male elicitam conclusionem, vel, si mauis, cum principiis ante iactis male connectentem propositionem. Atque haec, vt iam ante monui, non ideo affero, vt vllo modo Virum Celeberrimnm incuriae, vel ex errore, quem forsan in demonstrando commisit, Eum Ignorantiae et inscitiae in Iurisprudentia accusarem. Absit a me impudentia ista! Quis in tanta Iuris incertitudine, in tanta hypothesium varietate errare non posset aliquando et admittere? quae cum prioribus minus bene cohaererent. Nullum fere Iuris scriptorem maioris operis ab hoc labe immunem esse iudico. Ideo enim tantum paucis huius Viri tentamina examinanda putaui, ne Eum actu id iam præstitisse putent alii, cuius contrarium ego asserui, et simul pateat melius esse, nuda allegatione Legis thesin suam probare, quam principiis, vel precariis, vel falsis, vel parum ad rem facientibus vti.

§. X.

Quod reliquum est, Vos iam, Viri Generosissimi Amplissimique huius Academiae Ciues, Commilitones O. O. Honoratissimi compello. Constitui mecum ex quorundam desiderio, absolutis lectionibus Iuris N. et Institutionum nouas aperire scholas, quibus celeberrimi HEINECCII Institutiones et BÖHMERI Ius Digestorum explicarem, quos auctores ideo caeteris praeferendos putaui, quod optimam methodum, quae demonstratiuam imitatur, elegerint. Dabo igitur operam, ut definitiones horum auctorum explicem, eas adhibeam ad caeterarum definiti proprietatum veritatem adstruendam, non neglectis, ex morali Philosophia desumtis rationibus, ad Legum adstruendam aequita-

tem, ſi opus ſit. Caeterum ſi occurrunt, tum in compendio, tum in explicatione theſes, quarum nexus cum principiis praemiſſis non tam euidenter pateat; cogitetis quaeſo haec arti, non ſcriptori vel docenti imputanda eſſe. Plura non promitto, quam praeſtare audeo. Caeterum, quemadmodum nihil praetermiſſurus ſum, vt debitam in tradendis Iuris principiis adhibeam diligentiam, ita veſtra diligentia, veſtraque frequentia eam excitatum iri, praeſentio. Dabam Kiliae M DCC XXXV. d. XVI. Maii.

